

DE PROGRESSIONIBVS ASCENDENTIS

hæc quæ de signis diximus augentur, vel minuantur pro natura planetæ aut aspectus ad signum in quo fit occursum.

De progressionibus Lunæ,



V A E per progressionem Lunæ occurunt, præmonstrant eos eventus, qui contingunt natis in moribus, animorum affectionibus, & in conuersationibus cum hominibus, ut cum compositis sint moribus, graues, prudentes, placidi, honesti, mites, magnanimi, aut contra leues, insipientes, dissoluti, truculenti, suspicaces. Item quando hilares, laeti, amatores, deliciarum studio si, aut contra tristes, tetrici querentes latebras, omnem mundiciam fugientes. Porro Lunæ in nocturnis nativitatibus, tanquam matris significatoris occursum notamus perficiunt & quandoq; nato, quæ Lunæ occurunt tempus coniugij.

Cum igitur Lunæ occurrit Saturnus, eius quadratus, oppositus, aut terminus mouet natum ad tristes & melancholicas cogitationes, quibus perturbatus & agitatus facile in febrim incurrat, de humorum redundantia. Hic occursum implicat natum multis curis, & solitudinibus, & anxietate animi, quasi opprimit, quam mentis ægri tudinem, necessario, corporis languor, & alia incommoda ualetudinis comitantur. Matri uero nati morbos, & quandoq; mortem portendit.

Verum cum ad Lunam trinus vel sextilis Saturni peruenit, natum idoneum, ac agilem efficit ad excogitanda & tractanda ea, quæ sunt de agrorum cultura, hereditatibus & ædificijs. Hoc tempore fœliciter cum Saturnini conuersabitur, à seruis & animantibus minoribus hic occursum promittit nato utilitatem. Item matri medium corporis, & animi habitum, dummodo huic cœli influxus tempore geneseos nati non refragetur.

Ad Lunam deuolutus per progressionem Iupiter, eius trigonus, hexagonus, aut terminus tum corpus tum animum nati ornat multis modis, facit laetos, iocundos suauiter fruentes bonis, propensos ad amorem coniugalem, aut similes res, quibus puellis & mulieribus studeant blandicijs, gestu, incessu, & omnibus modis placere. Sunt & hi occursum fœlices & commodi matri nati.

At Lunæ si occurrat quadratus aut oppositus Iouis, facit animum nati fluctuantem uarijs, & pugnantibus affectibus. Item aduersus natum extimulat iureconsultos, religioni addicatos, ut prælatos, pontifices, eosq; omnes qui de Iouis conditione sunt.

Lunæ quando occurrit Mars, eius quadratus, oppositus, aut terminus, dissidia & contentiones nati cum Marti libus suscitat, qui animi motus facile occasionem præbuerint mutationi alicui periculosæ corporis nati, & uehementiori alicui dolori oculorum. Quandoq; mortem significat coniugis, aut alterius matronæ, nato sanguine iunctæ.

Sed quando trigonus, vel hexagonus Martis Lunæ occurrit, nati animum sedatum & hilare reddit, & industrium in ijs quæ Martis proprietatem, aut naturam sapiunt. Sectabitur hoc tempore natus suauiores conuersationes & ludos cum Marti libus.

Lunæ quando occurrit Sol, eius quadratus vel oppositus, animum nati ad iram frequenter prouocat, & iracundum reddit. Item magnates instigat, ut aduersus natum similitates suscipiant, caueatq; sibi eo tempore natus à calida & uehementiori se bri, & à doloribus oculorum.

Contrà uero cum Lunæ occurunt fausti Solis radij, ut trinus, vel sextilis, conciliat natum nobilissimis mulieribus, ut cum eis suauiter, & summa cum hilaritate & so-